Gen. Iphig.

78

INDEX

LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A D. XXIX. M. APRILIS VSQVE AD D. XV. M. AVGVSTI A. MDCCCLXXVIII

HABEBVNTVR.

J. Vahlen
De Ennii Iphigenia

BEROLINI
FORMIS ACADEMICIS
(G. VOGT).

VNIVERSITATIS LITTERARIAE
FRIDERICAE GVILELMAE
RECTOR ET SENATVS.

Ab Ennio, cuius de Medea proximo anno eadem occasione eodemque loco nonnulla disseruimus, nunc rursus cum indicibus lectionum academicarum aliquid praefationis e litteris petitae addendum sit, agendi capiemus primordia. Volumus enim versus quosdam eius poetae, quos Cicero servavit, qui Ennii valde studiosus erat multaque ex eius poesi excerpta tradidit solus, in disceptationem vocare ita ut simul ad ipsum Ciceronem nonnihil utilitatis ex nostra disputatione redundet. Itaque Cicero in pulcherrimo prooemio, a quo sermonem de re publica exorsus est, posteaquam Aelius Tubero, Scipio Africanus, Furius Philus, alii, quorum in ea disputatione partes esse voluit, initio sumpto a duobus solibus qui visi fuerint, de rebus caelestibus deque omnis illius doctrinae sublimioris praestantia et usu verba fecerunt, tum Laelium, qui contra sentit nihil magis hominum interesse quam ea scire et quaerere quae ad hominum vitam regendam temperandamque rem publicam pertineant, ita dicentem facit (1, 18, 30). *Non audeo quidem ad ista, Scipio, dicere neque tam te aut Philum* (*qua^{ut}mpilum*) *aut Manilium — — in ipsius paterno genere fuit noster ille amicus, dignus huic ad imitandum, 'egregie cordatus homo, catus Aelius Sextus', qui egregie cordatus et catus* (*estcautus*) *fuit et ab Ennio dictus est, non quod ea quaerebat, quae numquam* (*quemnũquam* m. pr.) *inveniret, sed quod ea respondebat, quae eos qui quaesissent et cura et negotio solverent, cuique contra Galli studia* (*studio* m. pr.) *disputanti in ore semper erat illa de Ifigenia Achilles 'astrologorum signa in caelo quid sit observationis cum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod beluarum: quod est ante pedes nemo spectat, caeli scrutantur plagas.' atque idem, multum enim illum audiebam et libenter, Zethum illum Pacuvi nimis inimicum doctrinae esse dicebat, magis eum delectabat Neoptolemus Enni qui* (*Enniqu^{o}i*) *se ait filosofari velle set paucis, nam omnino*

haud placere. Perscripsimus verba ita ut in Vaticano codice exarata extant, in quo quod Maius duas paginas post *Manilium* desiderari testatur, tenor quidem orationis Laelianae non plane obscuratus est, quem si quibusdam tenuibus lineis adumbrare licet, hoc fere modo simulacrum continuitatis parare possis. 'non audeo ad ista, Scipio, dicere neque tam te aut Philum aut Manilium [reprehendere quam admonere Tuberonem cupio, ne cum adulescens sit, nimio ardore ad illa se studia det parum utilitatis habitura, idque cum multi senserint, tum] in ipsius paterno genere fuit' eqs. Versum qui insequitur Ennii Dobraeo auctore (advers. tom. II 377) Halmius et Baiterus, Halmius praeterea ad eiusdem Dobraei mentem *catus* vocabulum induxerunt, et Osannus se mirari scribit, tam patienter potuisse tolerari ab editoribus versum, quem inepte et ab inepto homine interpositum Ciceronis oratio patefaceret Ennii scilicet verba absurde repetentis. At nos miramur extitisse, qui adeo a Ciceronis modo et more deerraret, ut versum aptum et necessarium prava sedulitate appictum esse animum induceret. Et Dobraeo quidem hoc facile condonatur qui subitam opinationem ut fit margini libri sui alleverat: eximii viri errorem manifestum propagari et quasi consecrari, id vero non laudamus. Nam etsi omisso versu ex aliis libris Tullianis qui eundem tenent colligere licebat, Aelium Sextum esse quem egregie cordatum hominem Ennius appellasset, tamen Ciceroni prospiciendum erat, ut hoc loco legentes facile et sine dubitatione percipere possent, cuius viri testimonio Laelius inniteretur; idque is ita assecutus est, non ut nude nomen Aelii poneret, sed ut pulchrius formata oratione Ennii versum ad hanc rem natum suo sermoni intexeret; quodque deinceps repetitis Ennii verbis quasi interpretem poetae agens illius sensum ad suas rationes refert, id ut sua natura scite instituitur, ita plane fit de consuetudine Tulliana, cuius cum multa extent exempla, velut in Tusculanis quae scribit 3, 27, 65 *Quid ille Terentianus ipse se poeniens, id est* ἑαυτὸν τιμωρούμενος? *'Decrevi tantisper me minus iniuriae, Chremes, meo gnato facere, dum fiam miser.' hic decernit ut miser sit. num quis igitur quicquam decernit invitus? 'Malo quidem me quovis dignum deputem.' malo se dignum deputat nisi miser sit,* tum hoc singulare est in Bruto quod legitur 15, 58 *Est igitur sic apud Ennium in nono ut opinor annali 'Additur orator Corneliu' suaviloquenti Ore Cethegus Marcu' Tuditano collega, Marci filius.' et oratorem appellat et suaviloquentiam tribuit, quae nunc quidem non tam est in plerisque, latrant enim iam quidam oratores, non loquuntur, sed est ea laus eloquentiae certe maxima 'is dictust ollis popularibus olim Qui tum vivebant homines atque aevum agitabant Flos delibatus populi.' probe vero; ut enim hominis decus ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia, qua virum excellentem praeclare tum illi homines florem populi esse dixerunt. 'suadaeque medulla.'* πειϑώ *quam vocant Graeci, cuius effector est orator, hanc suadam appellavit Ennius, eius autem Cethegum medullam fuisse vult, ut, quam deam in Pericli labris scripsit Eupolis*

sessitavisse, huius hic medullam nostrum oratorem fuisse dixerit. Multa in his nuper novari coepta sunt, quae nos ne huius disputationis cursus interrumpatur curiosius excutere nolumus. Ut nostra fert opinio, nec Ciceronis oratio alieno additamento aucta est et Ennianorum versuum scriptura quam supra posuimus tam suopte ingenio quam coniunctis Gellii et Bruti Tulliani librorum testimoniis firmiter stabilita est nec vanis rationibus labefactatur. Sed cuius rei causa haec attulimus, apparet, opinamur, ratio, qua Cicero versuum quibus suam orationem distinguit sensus et ipsa verba iterare ac paene inculcare legentibus non dubitet.

Pergit Laelius *cuique contra Galli studia disputanti in ore semper erat ille de Iphigenia Achilles: 'astrologorum signa'* eqs. Codex *illa* pro *ille,* pronomine ad *Iphigenia* nomen formato; quem lenem ac vulgarem errorem Osannus sustulit; nam reliqua recte scripta sunt et est haec aptior oratio quam quae hodie de Maii coniectura vulgatur *in ore semper erant illa de Iphigenia Achillis;* neque obstat, quod ita nullo iam vinculo orationi versus subiiciuntur: sic enim Cicero cum alibi tum ibi ubi tertium horum versuum rursus citavit, de divinatione 2, 13, 30, *Democritus tamen non inscite nugatur, ut physicus, quo genere nihil adrogantius. 'quod est ante pedes nemo spectat, caeli scrutantur plagas.'* Versus ipsi, quibus Achilles in Iphigenia astrologorum ineptam sedulitatem carpit, referuntur illi quidem recte quamquam sine testimonio ad Ennii Iphigeniam, ex Euripidis Iphigenia Aulidensi expressam, sed quae in Graeca fabula Achilles opprobria iacit in Calchantem v. 955 *πικροὺς δὲ προχύτας χέρνιβάς τ' ἐνάρξεται Κάλχας ὁ μάντις. τίς δὲ μάντις ἔστ' ἀνήρ; Ὃς ὀλίγ' ἀληθῆ, πολλὰ δὲ ψευδῆ λέγει Τυχών, ὅταν δὲ μὴ τύχῃ, διοίχεται,* in eis pertenue vestigium agnoscitur sententiarum quas Romanus poeta cuiusvis generis superstitionum osor pluribus verbis executus est. Ea vero verba in codice vitiose scripta esse arbitrati Maius primum, dein Heinrichius emendando in ordinem cogere studuerunt. Quorum ille pro *observationis* posuit *observat, Iovis Cum capra,* coniectura speciosa, quam Ovidii narratione de Iovis capella (Fast. 5, 111 sqq.) firmat; eamque cum ceteris omnibus tum Heinrichio probavit, qui ipse, ut cum hoc versu et cum tertio secundi mensuram exaequaret, *beluae* scripsit pro *beluarum,* ne id quidem inconsulto. Sed cum iam *quid sit* verba penderent, Maius *quaerit,* deinde quo coniecturae probabilitas augeretur, forma antiqua et ab Ennio alibi usurpata, *quaesit* Heinrichius et iam ante Heinrichium Leopardus restituerunt. Ita progrediente paulatim emendatione eam hi versus formam induerunt, qua iam fere circumferri in editionibus solent.

Astrologorum signa in caelo quaesit observat, Iovis
Cum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod beluae:
Quod est ante pedes nemo spectat, caeli scrutantur plagas.

Naekius quidem ab Heinrichio consultus dubitationem moverat an *quid sit* non iure mutaretur, quippe quae verba apte locum in hac oratione obtinerent *in caelo*

quid sit observat (sive *observant*), *Iovis cum capra aut nepa exoritur,* sed idem cum hoc enuntiato verba *astrologorum signa* non posse conciliari opinatus Heinrichium denique eo adduxit ut *quid sit* quidem servandum esse duceret, illa vero verba non ab Ennio nec a Cicerone ascripta sed ab interprete male sedulo esse apposita suspicaretur, parum ille probabili coniectura recidendo mancum ex integro versum efficiens. Quodsi quis ut et *astrologorum signa* et *quid sit* tueatur, aliter orationis formam interpretatus ab uno verbo *observat* duo pendere iusserit et *astrologorum signa in caelo* et *quid sit cum Iovis capra aut nepa exoritur*, ne sic quidem satis expedita et commoda sententia nascetur. Contra *quaesit observat* haec duo verba poterant illa quidem apte sic ἀσυνδέτως componi, illo more quo Ennius ipse*), ut mittamus alios, scribit *mortales inter sese pugnant proeliant; alia fluctus differt dissupat Visceratim membra; sed me Apollo ipse delectat ductat Delphicus;* et fortasse *regnumque nostrum ut sospitent superstitent*[*que*] de Ribbeckii sententia, nisi quis malit hunc hypermetrum esse senarium, qualem Pacuvius quem crediderunt finxit a Ribbeckio inter incerta relatum p. 264

Refugere oculi, corpus macie extabuit,
Lacrimae peredere umore exangues genas,
Situ nigroris barba paedore horrida atque
Intonsa infuscat pectus illuvie scabrum.

Nec tamen si *quaesit observat* recte iunguntur, ideo iam *quaesit* amplectemur pro certo: neque enim huius coniecturae probabilitas tam suis rationibus nititur quam ex alterius successu emendationis pendet eius qua ex *observationis* reparatum est *observat Iovis cum capra.* Atqui *Iovis capra* etsi probe appellari poterat, *capra* quidem additamento ut recte acciperetur non indigebat, velut Cicero scribit de nat. deor. 3, 16, 40 *singulas stellas numeras deos eosque beluarum nomine appellas ut capram ut nepam*, et illa sententia *cum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod beluae* concinnius profecto unius versiculi finibus circumscribetur. Quod vero Heinrichius *beluarum* esse ex *beluae* correctum eiusque correctionis causam et originem

*) Multus est hic usus asyndeti bimembris in prisca latinitate sed idem pertinuit ad posterioris ac postremae aetatis scriptores. Veluti Minucius Felix in Octavio scribit *mortuis extinctis* (p. 15, 10); *uri cremari* (p. 52, 19); *imperant regnant* (p. 17, 2); *sciunt norunt* (p. 34, 12). Quae fere addubitantur aut mutantur a criticis iniuria; nam etsi nos talia non laudamus, a stilo huius scriptoris non esse aliena concedendum est. Sed et Senecae placuit *reddo restituo* (de tranq. anim. 11, 2); *firmaverit erexerit* (nat. quaest. 6, 32); idem autem cum scribat in consol. ad Marciam c. 11, 2 *et quae diligis veneraris et quae despicis unus exaequabit cinis*, delent *veneraris*, hoc est exquisitius vocabulum ex interpretatione fluxisse statuunt vulgaris; *veneraris* enim esse exquisitius ex Horatio dispicitur, ep. 2, 1, 263, *quod quis deridet quam quod probat et veneratur.* Rursus in Taciti dialogo cum extet c. 23, 12 *rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt oderunt, Calvi mirantur,* quae verba, *fastidit et odit,* idem Horatius ep. 2, 1, 22 copulat, non ferunt critici *oderunt.* Et tamen qui potest lac lacti esse similius quam est horum alter locus alteri. Et in Ciceronis epistolis nonnulla eiusdem generis feruntur, quae fere infestat Wesenbergius.

Ciceronis verbis quae modo attulimus declarari censet, ea quidem verba potius *beluarum* scripturae suffragari videantur. Nam metri necessitatem, qua *beluae* flagitari dicit, non codicis memoria sed Maii correctio versus primi procreavit. Codicem enim si sequimur, probos habebimus octonarios duos, quibus nihil prohibebat quominus tertius adhaereret septenarius.

Astrologorum signa in caelo quid sit observationis,
Cum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod beluarum:
Quod est ante pedes nemo spectat, caeli scrutantur plagas.

Haec nos dum animo complectimur, valde vereri incipimus, ut per tot molimina, cum altera alteram mutationem poscat, emendatio horum versuum ad certum finem perducta sit; in quibus peccatum esse nimirum et ipsi fatemur; cum enim reliqua facile intelligantur, unum *sit* unde regatur obscurum est, nec vero credibile Ciceronem non plenam sententiam ascripsisse. Ergo hanc esse certissimam sedem erroris efficitur; qui ut eximatur, non graviore remedio opus est, sed una mutata littera *fit* pro *sit* scribentes, mensura versuum intacta, sententiam recuperamus et plenam et perspicuam nec poeta indignam.

Astrologorum signa in caelo quid fit observationis,
Cum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod beluarum:
Quod est ante pedes nemo spectat, caeli scrutantur plagas.

Quorum versuum hunc esse sensum volumus ut Achilles admirabundus cum contemptu exclamet: 'astrologorum quae fiunt observationes signorum in caelo, cum capra aut nepa aut aliquod astrum exoritur: quod ante pedes est nemo eorum spectat, caeli scrutantur plagas.' In quibus cum iam astrologorum non signa ut ante sed rectius observatio dicatur, tum *nemo* tertio versu percommode nactum est quo referatur, denique *signa in caelo* quod ab *observatione* pendent, agnoscimus usum non infrequentem in Plauti fabulis nec a posteriore latinitate prorsus alienum, quo nomina verbalia in formandis enuntiatis legem sequuntur verborum.

Itaque si forte contigit nobis ut universam horum versuum sententiam stabiliremus, superest ut de *nomine beluarum* dicamus, quo de Heinrichius, periphrasin esse sed cum aculeo, *nomen beluae,* adnotat, nisi forte poeta *lumen* scripserit, quod *exoriatur* melius; idemque *lumen* postea probarunt alii, sed ut *exoritur lumen* sane perapte dicitur, *lumen beluae* vel *beluarum* habet cur displiceat. Quare Ribbeckius spreto *lumine* quod antea receperat nuper auctore Kiesslingio *momen beluae* in textu posuit; ac verum est subinde in veterum libris *momina* quae fuerint librariorum inscientia abiisse in *nomina,* quamquam Horatium in arte v. 253 *unde etiam trimetris accrescere iussit Momen iambeis* scripsisse, non *nomen* quod adhuc vulgatur, id nobis quidem Ribbeckius non persuasit. Sed ut largiamur potuisse *momen beluae* (vel *beluarum*) recte scribi fere ut Horatius loquitur in epistolis 1, 10, 15 *ubi gratior aura Leniat et rabiem canis et momenta*

leonis, etsi haec *momenta leonis* etiam aliam admittere explicationem videntur, tamen dubitamus in Ennii versu traditam scripturam *nomen beluarum* destituere. Videmus enim plane eundem in modum Ciceronem scribere in epistolis (ad fam. 7, 5, 3) *huic ego neque tribunatum neque praefecturam neque ullius beneficii certum nomen peto*, hoc est 'non tribunatum nec praefecturam nec omnino beneficium certo nomine insignitum peto;' ita Ennius, 'cum capra aut nepa aut aliquod astrorum exoritur beluarum nomen gerentium.' Nec ita raro alibi 'nomen rei' pro re nomen gerente dicitur a scriptoribus. Velut in Plauti Truculento (1,1,58) Diniarchus cantat

Nam mihi haec meretrix quae hic habet Phronesium
Suum nomen omni ex pectore exmovit meo,
Phronesim, nam phronesis est sapientia.

Quorum versuum tertium quod olim et rursum nuper extinxerunt, non luxuriam quandam reciderunt, quae tamen ipsa toleranda esset in Plauti fabula, sed versum deleverunt ad explanandam sententiam perutilem. Sed Diniarchus cum illa diceret, hoc intelligi voluit aperte, φρόνησιν, a qua nomen meretrici Phronesio accrevit, sibi esse omni e pectore eiectam. Nec multum dissimilia in Epidico leguntur 2, 2, 51. Verum gravius est et ad hunc usum explicandum fortasse utilius quod Seneca scribit in consolatione ad Marciam 13, 2 *Paulus circa illos nobilissimi triumphi dies quo vinctum ante currum egit Persen, inclyti regis nomen, duos filios in adoptionem dedit, quos sibi servaverat extulit. quales retentos putas, cum inter commodatos Scipio fuisset? non sine motu vacuum Pauli currum populus Romanus adspexit. concionatus est tamen et egit dis gratiam, quod compos voti factus esset, precatum enim se ut si quid ob ingentem victoriam invidiae dandum esset, id suo potius quam publico damno solveretur.* In his quae non sine causa paulo plenius perscripsimus, illa verba *inclyti regis nomen* post Gruterum, qui princeps eius commenti fuit, inducunt cum alii tum novissimi deinceps editores Fickertus, Haasius, H. A. Kochius, praepropero ut nobis videtur studio, quo saepe abrepti etiam in Senecae libris delent quae aut convenientia sunt orationi aut necessaria, velut, ut in persimili subsistamus exemplo, cum Seneca de tranquillitate animi 15, 13 scripserit *Et magni, ut dixi, viri quidam sibi menstruas certis diebus ferias dabant, quidam nullum non diem inter otium et curas dividebant, qualem Pollionem Asinium oratorem magnum meminimus, quem nulla res ultra decimam retinuit, ne epistulas quidem post eam horam legebat, ne quid novae curae nasceretur*, verba *oratorem magnum*, quae quo consilio addita scriptor voluerit ipsa oratio demonstrat, tamen secludunt tamquam ab interpolatore adiecta. Sic illo superiore loco verba *inclyti regis nomen* non ea de causa nimirum interposuit Seneca ut Persea illustrem regem fuisse legentes edoceret, sed ut triumphi nobilitatem extolleret, cuius longe praeclarissima pars erat tanti nominis rex captus. Et clementius fortasse toleravissent ea verba docti, si non *inclyti regis nomen* sed *inclyti regem*

nominis scriptum offendissent. Reponemusne ita? Non, opinamur. Nam etsi non ignoramus saepius cum alibi tum in Senecae libris permutandis nominum vicinorum terminationibus peccatum esse a librariis, quid opus est mutare tradita, cum non audaciore genere dicendi Seneca *ante currum egit Persen inclyti regis nomen* scripserit, quam Cicero *non beneficii certum nomen peto,* quam Ennius *exoritur aliquod nomen beluarum.* Et accedit alind quo magis illam veram esse Senecae manum confirmetur. Seneca enim cum illo exemplo Pauli uteretur, memor erat Livii, qui de Pauli triumpho res actas insignemque eius per eosdem dies acceptam cladem domesticam prolixa narratione persecutus est (vide inprimis lib. 45 c. 40 et 41). Atque is in ea oratione, qua Servilius milites Aemilio Paulo meritissimo duci triumphum denegaturos ponderosa severitate castigat, hunc locum induxit gravissime (lib. 45, 39, 7). *Quos Syphax rex captus, accessio Punici belli, concursus fecerit, plerique meminimus. Perseus rex captus, Philippus et Alexander filii regis, tanta nomina, subtrahentur civitatis oculis?* Habemus auctorem, quo Seneca illa *inclyti regis nomen* scripsit quae hodie damnantur. Sed quid nos alios? Ipse sibi Seneca satis gravis testis extitit, qui rursus ad eandem dicendi formam de clementia 1, 26, 2 *apparentur,* inquit, *licet magna impensa et regiis opibus et artificum exquisitis nominibus, quem tamen ludi in carcere iuvent?* Quae si severius ad cogitandi normam exigere velis, ludi non magis apparantur nominibus artificum quam regis nomen ante currum ducitur. Tamen ut haec esse verissime scripta iudicamus, quibus similia extant in consolatione ad Helviam 11, 4, ita *nominibus artificum* vindicari arbitramur verba addubitata, quae in Minucii Felicis Octavio p. 9, 22 leguntur, *dum exercent in armis virtutem religiosam, dum urbem muniunt sacrorum religionibus, castis virginibus, multis honoribus ac nominibus sacerdotum, dum obsessi et citra solum Capitolium capti colunt deos* cet. Usenerus enim Minucium non *multis honoribus ac nominibus* sed *multis agminibus sacerdotum* dedisse suspicatus est. Cui coniecturae satis audaci nos quominus assentiamus, iam eo prohibemur quod et Ciceronem meminimus scribere *regis honore et nomine* pro Deiot. 5, 14 (cf. ad fam. 16, 12, 2) et Horatium *honor et nomen divinis vatibus atque Carminibus venit* in arte 400; ut appareat consueto more *honoris* ac *nominis* vocabula coniungi. Sed nimirum Romani non nominibus sacerdotum urbem munierunt, sed sacerdotibus, et hoc ipsum voluit Minucius, cum illa scriberet, sacerdotibus munitam urbem esse honorum multorum ac nominum. Possumus his adiicere alia, velut Petronius quae scribit c. 81 *Ergo me non ruina terra potuit haurire, non iratum etiam innocentibus mare? effugi iudicium, harenae imposui, hospitem occidi, ut inter tot audaciae nomina mendicus exul in deversorio Graecae urbis iacerem desertus* et c. 127 *nec sine causa Polyaenon Circe amat: semper inter haec nomina magna fax surgit,* quae olim vetustioribus interpretibus offensioni

fuerunt, eadem nisi fallimur ratione expediuntur. Sed nolumus cumulare exempla, hoc unum agentes, locus ipse ut clariore in luce ponatur.

Itaque redimus tandem ad Ennium, a quo egressi et longius vagati sumus, finemque disserendi faciemus ita ut corollarii loco duos versus Ennianos emendate scriptos ponamus, quorum in firmanda scriptura ab argumentandi ambagibus abstineri potest. Putamus enim versus quos Hieronymus in epitaph. Nepotiani p. 598 Mign. servavit Ennii, *plebes in hoc regi antestat loco, licet Lacrumare plebi, regi honeste non licet*, quosque ad Iphigeniam Ennii comparatis Euripideis v. 446 ἡ δυσγένεια δ' ὡς ἔχει τι χρήσιμον. Καὶ γὰρ δακρῦσαι ῥᾳδίως αὐτοῖς ἔχει Ἅπαντά τ' εἰπεῖν. τῷ δὲ γενναίῳ φύσιν Ἄνολβα ταῦτα iure rettulerunt, in hunc modum esse ordinandos.

Plebes in hoc regi antistat: loco licet
Lacrumare plebi, regi honeste non licet.

Ut *loco* ipsa suadente sententia eam vim habeat, quam habere apud Ciceronem (ad fam. 11, 16,1 *quemadmodum coram qui ad nos intempestive adeunt molesti saepe sunt, sic epistolae offendunt non loco redditae*) et apud Horatium (epist. 1, 7, 57 *et properare loco et cessare*) et alios nemini ignotum est. Diiambum autem in exitu huius trimetri non magis refugimus quam in illo altero versu Enniano *ibi quid agat secum cogitat parat putat,* in quo verba illa tria tam apposite copulantur quam vel apud Ciceronem (ad fam. 2, 5,2) *para meditare cogita.*

Alterum autem fragmentum quod dicimus ipsi Ciceroni acceptum refertur, qui cum ita scribat in Tusculanis 3, 3, 5 *at et morbi perniciosiores pluresque sunt animi quam corporis; hi enim ipso odiosi sunt quod ad animum pertinent eumque sollicitant animusque aeger, ut ait Ennius, semper errat neque pati neque perpeti potest, cupere numquam desinit,* videmur nobis leni opera *se* addentes post *potest* et sententiam recipere et numerorum continuitatem.

Animus aeger semper errat neque pati neque perpeti
potest se, cupere numquam desinit.

Quid sit enim illud quod dicitur animus se pati non posse et quam hoc huic sententiae conveniens sit, Seneca docebit, qui in naturalibus quaestionibus 4, praef. 1 *turbam* ait *hominum rerumque desiderent qui se pati nesciunt: tibi tecum optime convenit.* Numerorum autem genus accedit ad illos a quibus canticum illud decantatum Iphigeniae exorditur.

Otio qui nescit uti plus negoti habet
quam cumst negotium in negotio.

Tantum est, commilitones carissimi, cumque vos ad lectiones academicas, quas infra enumeratas habetis, invitemus, hoc vobis magnopere auctores sumus, ut Enniani versus memores otii et negotii rationes semper vobis constare velitis.

Scr. m. Octobri MDCCCLXXVII.